



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CXX. De Adventu multorum peregrinorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Ludovicus de Baldersheim VII. Mag. Provinc. in Prussia.*

Frater Ludovicus de Baldersheim Magister Pruschia VII. praefuit annis VI. Ao. Domini MCCLXV. hoc tempore Frater Fridericus de Holdenstete fuit Marschaleus.

CAP. CXX.

De

Adventu multorum peregrinorum.

Volante fama destructionis castrorum omnium, quae praedicta sunt, per Almaniae partes, commoti sunt Reges & Principes, & ut Ecclesia Dei in Pruschia partibus per multam Christiani sanguinis effusionem complantata omnino non deficeret, sed per ipsorum jucundum adventum sumeret debitum incrementum. Ideo An. Dn. MCCLXV. (a) Dux de Brunsvich & Landgravius de Thuringia, Anno ejusdem MCCLXVI. (b) Otto Marchio Brandenburgensis & filius ejus & frater carnalis; Anno ejusdem MCCLXVIII. (c) Ottocarus Rex Bohemiae multis stipati militibus & potentiâ armatorum venerunt Pruschiam in subsidium dictae terrae, ut videlicet rebellionem compescerent Pruthenorum. Sed quia nondum venit hora, in qua Deus vellet misereri populo suo, sed amplius castigari, desideratum desiderium dicti Principis propter molliciem hyemis non poterant deducere ad effectum, sed derelictis Christi fidelibus terrae Pruschiae in magnis periculis ad propria sunt reversi.

An. Domini MCCLXV. Clemens Papa IV. Karolum praedictum coronavit in regnū Cecilia quod ei Papa Urbanus dedit. Hic Karolus Mansfredum filium naturalem Friderici Imperatoris secundi vita & regno privavit.

ANIMADVERSIONES.

(a) Albertus nomine, qui etiam cum Ottocaro in Hungariam expeditionem suscipisse dicitur Anno 1260. Vid. Andreas Angelus lib. 2. *Annal. Brandeb. pag. 106.*

Fra-

(g) Vide infra cap. 122.

(c) De prima Ottocari hujus expeditione in Prussiam Vide supra
cap. 70.

CAP. CXXI.

De

Fratre Ulrico & morte L. Pruthenorum.

Hoc tempore fuit Frater Ulricus de Megdeburg in conventu Kunnigsberg, qui adeo fortis erat in corpore, quod plurimum virorum vires excederet. Accepit enim duos armigeros quemlibet cum uno digito per cingulum, & eos in sublime ipsis renitentibus elevavit. Hic ordinatus fuit cum quibusdam fratribus & armigeris ad custodiam navium Christianorum, quae per mare venerant ad terram Pruschiae, quas Prutheni antea saepius destruxerant. Unde accidit, quod cum ipse cum paucis circa naves praedictas remansisset, venerunt Prutheni armati cum V. navibus, & dum ad destruendas naves suas appropinquarent, Frater Ulricus accepit malum de navi sua & illorum naves percutiendo, tot submersit, quod L. Prutheni cum navibus suis sunt submersi. Alii haec videntes perterriti recesserunt.

CAPUT CXXII.

De

(a) Aedificatione castri Brandenburg.

Anno Domini MCCLXVI. (b) Anno Domini MCCLXVI. multi Sarraceni ex Africa venientes Hispaniam occupant, sed eandem Christiani

179

233